

§. 76, 40.

X 20051591



# LEGES SCHOLÆ AD S. CRUCIS

Denuo revisæ, præsenti rerum statui  
accommodatæ, atque necessitatis &  
utilitatis gratia

Mense Septembri M DC LXXXV.

SENATU  
Civitatis Dresdensis  
P. P.


Prov. XII, I.

*Qui disciplinam diligit, diligit scientiam.*

---

DRESDÆ,  
LITTERIS CHRISTOPHORI BAUMANNI.

B



# Legum Scholasticarum

## Capit. I.

### *De Discipulorum pietate & officio in genere.*



#### I.

Rima Discipulorum cura pietatis esto;  
secunda morum elegantiae; tertia do-  
ctrinæ eruditæ.

II. Deum omni tempore, imprimis cubitu sur-  
gentes, ac dormitum se conferentes, precibus ar-  
dentibus invocanto; Nomen ejus sanctissimum  
religiosè & honorificè in omnibus sermonibus u-  
surpanto, illudque cum gratiarum actione, pro be-  
neficiis quotidie acceptis, collaudanto & glorifi-  
canto; blasphemias autem, execrationibus & diris  
abstinento.

III. Salvifico Dei verbo maximè delectantor,  
Catechesin & Christianæ doctrinæ capita, historias  
item sacras, & psalmos Davidis ediscunto, simulq;  
vita & factis exprimere assuefcunto.

IV. Praeceptores, ut animorum Parentes, amo-  
re, observantia ac honore debito prosequuntor:  
Non eos despiciunto, non deridento, non dedecoris  
insimulanto, non maledictis petunto, multo minus  
illis manus admovento: Sed grati animi memo-

riam non verbo, verum ipso etiam benè merendi studio exhibento.

V. Animadversiones & castigationes sicut Parentum, ita Præceptorum animo æquo subcunto: Refractarii & responsatores nunquam sunt.

## Caput II.

### *De moribus in templo.*

T

I.

Emplum maturè & ordine frequentanto.

II. In loco sibi assignato singuli manento: nugas, discursitationes & similia impietatis & levitatis indicia fugiunto, latebras non petunto, nihil in loco sacro voranto.

III. Die Solis & Jovis, quo totus Scholæ cœtus sacris interesse solet, Primani, Secundani & Superioris in classe tertia conciones excipiunto, exceptas exigenti in Schola Præceptoris suo exhibituri, & Dominis Inspectoribus pietatem in examinibus testaturi, semel atque iterum perlegunto.

IV. Ad sacram Synaxin, semet ipsos probantes, & ante omnia cum Præceptoribus, facta delictorum deprecatione seriâ, in gratiam redeuntes, frequenter accedunto, præcipue verò tempora Præceptoribus & Scholæ præ ceteris usitata observanto.

V. Tem-



**V.** Templo non , nisi concione & precibus o-  
mnibus finitis, ordine & taciti exeunto.

**Caput III.**

*De moribus in Schola.*

**L**ectiones memoriter recitandas domi, prius-  
quam in ludum eant, ediscunto.

**II.** Maturè & ante preces ad lectiones audiendas  
confluunto, atque non, nisi illis præmissis, has au-  
spicantor.

**III.** Absque Præceptoris legentis permissu è le-  
ctionen usquam abeunto, non vel in culina, vel in  
tabulato superiori latebras quærunto , vel quo-  
quam correpunto.

**IV.** Auditoriorum parietes , mensas, tabulas  
non perfodiunto, incisuris, aliove modo non de-  
formanto, non commaculanto: Seras , fenestras  
& fornaces non diffringunto, aut quicquam alte-  
rius damni danto, si quid corruperint, virgis casti-  
gati sumptibus suis resarciri curanto.

**V.** Ordine & loco sibi assignato sedento, de illo  
ne depugnanto, nec se mutuò comprimunto.

**VI.** In libros, cum quid recitandum est , ne in-  
spiciunto.

**VII.** Recitantes & exponentes clare , distinctè

A 3

&

VI. iug. 0



& sine præcipitatione pronuncianto, imprimisque ad exprimendas ultimas syllabas sese assuefacto.

VIII. Recitantibus ne insusurranto.

IX. Animis sub lectione præsentibus sunto, non garriunto, non murmuranto, non ridento, non nungantor, sed silentii & verecundiæ rationem semper habento.

X. Quando loquendum, tam cum Præceptoribus, quam inter sese, præsertim in tribus classibus superioribus, latinæ linguae omni loco & tempore studento.

XI. Omnibus in lectionibus supellestile scholastica, hoc est, atramento, calamo & charta instruti sunt, & quæ scribenda, excipiunto.

XII. Scripta & exercitia diligenter composita constituto die exhibento, ea que in examinibus publicis Dominis Inspectoribus offerunto, atque ita diligentiam suam reipsa testantur.

XIII. Ludo exituri devotis Deum precibus & hymno celebranto, illisq; finitis sine strepitu & mutua compressione tacite exeunto.

XIV. Exeentes per plateas non discursitanto, non clamitanto, non lapides, non globos niveos, non aliud quid jaciunto; sed taciti & modesti domum se conferunto.

Caput IV.

**V**

I.

Itam & mores omnes ad divinorum oraculorum præscriptum componentes Virtutibus assidui & accubui operari navanto, imprimis pietatem, modestiam ac verecundiam ubiq; præferunto.

II. Viros in dignitatibus constitutos, Patronos, Inspectores & Ecclesiæ Ministros debito honore afficiunto: Senioribus, civibus, matronis & virginibus honestis capita aperiunto, loco cedunto, & virtæ integritate, morumque honestate bonorum omnium benevolentiam sibi concilianto.

III. Sobrii & temperantes sunto, tabernas publicas & popinas non ingrediuntor, ebriorum lustra & choreas, tam nocturnas quam diurnas, cane pœjus & angue fugiunto.

IV. A spurcis & obscœnis colloquiis, libris nungatoriis, cantilenis fœdis, picturis scandalo plenis & aliis hujusmodi penitus abstinento.

V. Simultates, odia, inimicitias, calumnias, maledicta, mendacia, rixas, furta, obtræctationes & omnia flagitia procul ad Cyclopas & Centauros aleganto.

VI. Satyras & libellos famosos ne scribunto, parietibus nil appingunto, neminem pipulo differunto, nec injuriam ulli faciunto.

Vll.

VII. Offensas aut mütuæ facilitatis conventione ex animo delento, aut sine vindicta privata ad Restorem & Præceptorem suum deferunto.

VIII. Stentores, cantillatores & noctivagi græfatores ne sunt.

IX. Brachio exerto aut pallio ab humero volante ne incedunto, capronas ne gerunto, vestitu literatum ordinem decente utuntor, calceis deformibus se non dehonestanto, sicas & gladios in urbe non gestanto.

X. Conspiraciones ne ineunto, conventicula suspecta & clancularia ne habento, locos omnes infames fugiunto.

XI. Ludo tesserarum aut chartarum lusoriarum sub gravi ferularum animadversione nusquam exercendor, nec ludendo invicem pecuniam, libros aut pignora supponunto: larvatos autem offendisse sub exclusionis poena cavento.

Caput V.

*De debito & obligatione Alumnorum, in Schola habitantium, nec non Currendanorum, qui vocari solent, in specie.*

I.

**Q**uæ præmissis in legibus generalibus monuimus, ea & hic omnia rata sunt.

II. Alumni Regentem, quum ipsis sit Inspector  
præ-

præfectoris, amanto, debito honore non defraudan-  
to, ipso inscio non quoquam abeunto, ejus moni-  
tiones & castigationes, quæ legibus consentaneæ,  
insuper non habento.

III. Manè horâ quartâ signo campanula à Re-  
gente, vel hyemis tempore à Calefactore hora  
quintâ dato excitati sine mora surgunto, precum re-  
citationi, sicut & vesperi cubitum ituri, devoti inter-  
sunto, pro salute totius Urbis & Scholæ, imprimis  
verò Magistratus Dominorum, Inspectorum, Præ-  
ceptorum & Evergetarum, pro felici item successu  
studiorum suorum, supremum Numen invocanto,  
lectionem biblicam attentè peragunto, precibus-  
que finitis ad lectiones se præparanto.

IV. Ad templum convocati justo tempore simul  
adsunto, Musicam decenter juvanto, devotâ cum  
attentione verbum Dei audiunto, eaque, quæ cap.  
II. præscripta sunt, sanctè observanto.

V. Preces, quæ cibi sumptionem præcedunt &  
sequuntur, ordine recitanto, ab iis, ut & subse-  
quentibus vesperi motetis aut sacris cantionibus,  
nullus abesto.

VI. Si tamen justam absentiæ caussam habeant,  
à Regente veniam petunto.

VII. Suo quisq; loco mensæ accumbunto, mo-  
destè, sine clamoribus, sine risu soluto, sine joco-  
rum scurrilitate, sine rixis & altercationibus, sine di-

B

Etis

Etis aculeatis tempus & prandii & cœnæ transfigunto,  
concordia& moribusque compositis in contubernio  
quà mensali, quà cubiculari, diligenter studento.

Vlll. In cibo sumendo non tuburcinantor, nec  
suam aliis portionem præripiunto, hospites non ad-  
ducunto, absentibus, nisi justam caussam habeant,  
nihil cibi reservanto.

IX. Omnes exactiones & compotationes à con-  
tubernio scholastico sub graviori pœna exfunto.

X. Vocati vel adnuptias, vel ad honesta convivia,  
cantus gratiâ, modesti ac sobrii redeunto, nec ultrà  
decimam canunto, nocturnas discursitationes se-  
verè vetitas esse sciunto, foribus Scholæ jam occlu-  
sis non insultant.

VI. Cumque sæpe numero querelæ de nimis fe-  
stinata in plateis, & sic minus decorè exhibita Mu-  
sica sint exortæ, ideo in plateis modulantes pias, gra-  
ves, selectas cantiones tardè ac devotè canunto,  
præfecti & adjuncti choris semper adsunto, sub suo  
ordine constitutos ad modestiam, ne ineptiant, ne  
indecorè se gerant, ne boënt, ne ad aliam domum  
ante plenè finitam cantilenam properent, ut à risu  
abstineant, caput obviis aperiant, atq; adeò omnē  
fugiant ἀπαξίαν & ἀχημοσύνην, adhortantor.

VII. Ad funerum processiones prodituri justum  
ordinem servanto, sine venia non emanento, è Scho-  
la modestè sine clamoribus & petulante gestu pro-  
cedun-

cedunto, inter eundum ubiq; pietatem & honestatem probanto. Post deductionem sine ambagi-  
bus recta per Urbis plateas in Scholam redeunto.

XIII. Pecuniam collectam, tum Alumni, tum Currendi apud Rectorem quovis tempore deponunto.

XIV. A Rectore distributam rebus utilibus ac necessariis impendunto, non indecente aut sumptuoso vestitu, non luxu, non symposiis, non prodigalitate absumunto, nec Benefactorum animos si bimetipsis hâc impietate abalienanto, auctorundem liberalitatem restrictiorem reddunto.

XV. Vesperi post sumtam cœnam domi manento, & vel bonis literis vacanto, vel exercitio Musico operam danto, privatas institutiones apud Civium liberos sine Rectoris præscitu non suscipiunto.

XVI. Cum venia Rectoris, vel etiam Regentis, egressi compositè & maturè, priusquam Schola claudatur, domum redeunto.

XVII. Finitis post horam octavam precibus omnes tam hyeme, quam æstate cubitum eunto, maneque ad studia pro lubitu surrecturi, antelucanâ opificum industria se vinci nunquam patiuntor.

XIX. Quietem vesperi capturi ad consuetudinem Pythagoricam ordine diem elapsum remetuntor, & quid audierint, legerint, scripserint, dixerint, fecerint, tam pœnitentiæ, quam reminiscentiæ

ergo, in mémoriā sibi redigunto, sine lychno & lucerna in lectum se conferunto.

XIX. Sine Rectoris concessu extra scholam nec secubanto, nec peregrè sine ejus & Cantoris venia, & Regentis præscitu quopiam abeunto.

XX. Ituri in patriam cum Rectoris, Cantoris & classis suæ Præceptoris veniâ discedunto, & intra præfinitum tempus revertuntur.

XXI. Lectos, aliasque res usui publico servientes nec damno afficiunto, nec sordibus aut quocunque modo contaminanto. Sed sarta tecta & munda omnia conservanto.

XXII. Si quis contra leges hasce peccaverit, pro qualitate delicti gravem, & in fine legum definitam pœnam incurrito.

#### Caput VI.

#### *De receptione & discessu discipulorum.*

**S**cholam ingressuri apud Rectorem nomina sua profitentor, testimonium anteactæ vitæ exhibento, aut Parentem, tutorem, amicum testem adducunto.

II. Rectori & Præceptoribus pietatem, obedientiam, reverentiam, in studiis diligentiam, erga omnes hasce leges obtemperationem, & erga Patronos ac Benefactores pro beneficiis gratitudinem stipulata manu promittunto.

III. Qui

III. Qui Alumnorum in numerum recipi petunt,  
in præsentia Dominorum Inspectorum & Rectoris,  
fundamenta Musices se jecisse Cantori probanto.

IV. Omnes animum discendi cupidum afferun-  
to, & amore audiendi & quærendi flagranto.

V. Φιλαυτία, & inanem eruditionis persuasionem,  
tanquam studiorum pestem nocentissimam, fugiun-  
to, & voluntate ac dispositione Rectoris locum illis  
assignantis acquiescunto.

VI. Ex Schola discessuri Rectorem in consilium  
adhibento, & facti sui approbationem petunto, sine  
illius autem expresso consensu pedem aliò non fe-  
runto.

VII. In procinctu stantes Rectori & Præceptoris  
reliquis gratias agunto, & publicè, præsentibus  
tribus vel quatuor etiam superioribus classib[us], va-  
ledicunto.

VIII. Quicunque Præceptoribus insalutatis aliò  
se contulerint, & cum cuculis avolaverint, eorum  
nomina in Catalogum atratum, non sine famæ ma-  
cula & ignominia referuntor, ac singulis semestri-  
bus, post finita examina publica, præsentibus Do-  
minis Inspectoribus & omnibus Præceptoribus,  
præmissa seria dehortatione, in Schola publicè reci-  
tantor.

Caput VII.  
*De Decurionum officio.*

B 3

I. In

**I**N singulis classibus Decuriones aliqui consti-  
tuuntor, qui suæ inspectioni concreditos infe-  
riores, tam in templo, quam in ludo observanto,  
eosque Præceptoris suo significanto.

**II.** Absentes utrobius notanto, immodestè se  
gerentes, ac vel in templo, vel schola ineptientes,  
aut garrientes in schedula consignanto, & Præcepto-  
ri exhibento.

### Caput VIII.

#### *De Calefactoris, Cruciferorum & Pur- gantium munere.*

##### I.

**C**Alefactoris munere qui fungitur, primus cu-  
bitu surgito, auditoriorum foculos hieme maturè  
& constituto tempore accendito, & sedulò, ne ignes  
& lychnos incautius tractet, caveto.

**II.** Idcirco neque in cameram lignorum cande-  
lam inferto, neque ullibi locorum, unde periculum  
incendi possit exoriri, temerè ponito aut relin-  
quito.

**III.** Scholæ inqvilinos cum Regente, hora quin-  
tâ hieme, horâ quarta æstate, signo campanulâ da-  
to excitato, & utroq; tempore clausum post preces  
vespertinas ostium recludito.

IV. Fo-

IV. Fores & fenestras scholæ accuratè claudito & recludito, nec ulli inquilinorum, quicunque sit, claves committito, sed semper Regenti, à qvo accepit, reddito.

V. Post cibum sumptum orbes & mappas diligenter colligendas, & cœnaculum quotidiè purgandum curato.

VI. Cruciferi ferulas & baculos in promptu habento, & Præceptoribus requirentibus quovis tempore præbento.

VII. Quos ordo tangit auditoria purgandi, bis quavis septimanâ everrunto.

#### Caput IX.

#### *De pœnis & animadversionibus delinquentium.*

**S**I quis in unam vel alteram legum harum deliquerit, in eum pro delicti qualitate, ut par est, animadvertisitor.

II. Impiorum, immorigerorum, & quocunq; modo delinquentium Objurgatio, Humisessio, Cibi potusque Subtractio, Mulctatio, Castigatio, Fustigatio, Carceratio, Exclusio, publica Proscriptio animadversiones & pœnæ sunt.

#### I.

CON-

# QK Ya 9 CONCLUSIO.

**E**T hæc est legum Scholasticarum *σκαλατικοφία*, ubi tamen non sufficit, illas in charta consignatas extare, sed & animis hominum infigi, & & vita atque actionibus exprimi necesse est. Nisi enim id fiat, non re quidem ipsa, sed solo nomine, non vivæ, sed mortuæ leges erunt per se bonæ & salutares. Quod enim Corpus sine anima, Mundus sine sole, id omnis Lex sine executione.

Omnipotens ac æternus Deus, Pater Domini nostri JESU CHRISTI, omnis *Ωταξίας* Autor, Spiritus Sancti sui gratiâ in omnium Scholæ nostræ discipulorum animis veræ pietatis, diligentia, & obedientia ardorem excitet, vitamque & mores eorum gubernet, in Sacrosancti nominis sui gloriam, Ecclesiæ & Reip. salute, actionumque omnium tam publicarum, quam privatarum exoptatum commodum & emolumentum.

FINIS.

100

1017

n.t.

8.76,40.

S C I  
S


Denuo r  
acco

Me

Qui d

LITTE

3



Æ

n statui

s &

v.

am.

NJ.

37